

1996-03-04 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Antiqua Quidem’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

ANTIQUA QUIDEM

**IMAGO BEATAE MARIAE VIRGINIS TITULO «MARE DE DÉU DE PARET-DELGADA»,
QUAE PIE COLITUR IN SANCTUARIO EIUSDEM NOMINIS IN CIVITATE «LA SELVA
DEL CAMP» INTRA FINES TARRACONENSIS ARCHIDIOECESIS, PRETIOSO
DIADEMATE REDIMIRI SINITUR «NOMINE ET AUCTORITATE SUMMI PONTIFICIS»**

Ad perpetuam rei memoriam. – Antiqua quidem et singulari pietate colitur imago beatae Mariae Virginis titulo «Mare de Déu de Paret-Delgada» invocatae, quae, clara miraculis, pie custoditur in Sanctuario eiusdem nominis in civitate «La Selva del Camp» intra fines Tarraconensis archidioecesis. Cuius quidem ad sacras aedes praesertim fideles loci frequentes accedunt tam benignae et amantissimae caelestis Matris validissimum patrocinium deprecaturis variis in necessitatibus vitae. Qua re, cum Venerabilis Frater Raimundus Torrella Cascante, Archiepiscopus Metropolita Tarraconensis, litteris die IX mensis Februarii hoc anno datis, communia cleri populi que vota excipiens, petiverit ut imago, quam diximus, Nostro nomine et auctoritate pretioso diademate posset redimiri, Nos, paternae benevolentiae signum istis dilectis Hispaniae filiis cupientes praebere, eius sollertis Pastoris precibus perquam libenter obsecundandum esse putamus. Ratis igitur plane habitis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, tributis a Nobis peculiaribus facultatibus, hac in re egit, summa Apostolica potestate concedimus ut gratiosa imago beatae Mariae Virginis memorato titulo invocata Nostro nomine et auctoritate pretioso diademate possit coronari secundum probatum liturgicum ritum. Quod faustum ac felix sit iis omnibus qui eandem venerantur imaginem eosque pariter magic magisque incitet ad colendam praecelsam Virginem, ex qua Dei Filius incarnatus et homo factus est pro aeterna salute totius generis humani. Denique volumus ut hae Litterae religiose serventur suosque effectus nunc et in posterum legitime consequantur, contrariis quibuslibet rebus haudquaquam obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IV mensis Martii, anno MCMXCVI, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status